

cultus soli Deo sanctissimo debitos, sic enim alloquitur Moses populum Dei *Deut. VI, 13. Dominum Deum tuum timebis, & ipsi servies, & per nomen ejus jurabis*: partim etiam in summum Dei honorem tendit, non quidem semper ex parte jurantis, qui non raro proh dolor! perjurus irreverenter & contemptim valde Deum habet; sed ex parte ipsius juramenti naturæ, quod dum ad confirmationem rei incertæ adhibetur, is quo teste illa confirmatur superior hoc ipso agnoscitur: *ἀνθρώποι γὰρ κατὰ μέτρον ὁμνύουσι. Ebr. VI, 16.* Denique jurisjurandi sanctitatem ipsi quoque Ethnici cognoverunt: tanta enim ejusdem religio apud eos fuit, ut nomine sacramenti, quod habeant in numero sanctissimorum, dignarentur, semper, ubi modo de juramento sermo esset, multum sanctitatis & religionis mentionem facientes.

§. III. Ut autem eo melius juramenti natura & definitio pascatur, eamus per quatuor Causas. Ubi quidem in ipsa definitione Causam Efficientem proximam, si rem perpendere volumus, deprehendemus. Dum enim juramentum est assertio, est etiam actus, & quidem non tantum externus oris, sed & internus ipsius Intellectus, pendens uterque tanquam imperatus ab elicitio in voluntate, veluti omnium liberarum actionum principio.

§. IV. De hac autem assertione cum modo dixerimus, *materia* proximum nobis facisset negotium, indicata in definitione sequentibus: in qua *ad rem dubiam* confirmandam Deus testis invocatur. Res dubia, quæ nullis aliis rationibus neque testibus, neque signis demonstrari potest, & mere à fide dicentis dependet, est objectum reale juramenti. Quæ enim aliunde patent, ad illorum verificationem juramentum usurpare non minus

C

teme-